

cumque duratione habente partes sunt infinitæ et indeterminatæ partes in potentia, non in actu. Unde illa infinitas solum est in potentia, et syncategorematica, sicque cuilibet parti continuationis meriti indeterminatæ non correspondet præmium determinatum, quia non est moraliter existimabile id quod moraliter non est designabile; quare illæ partes unum meritum certum, et determinatum, non vero seorsum habent distinctum meritum.

XXI. Ad ultimam difficultatem respondetur, quod sine dubio etiam in actibus remissis totum quod est in actu, sive pertineat ad substantiam, sive ad circumstantias, habet quasi subjective rationem meriti, et in hoc bene procedit Suarez numero XLIV, et Granados disputatione septima: cum enim actus remissus sit meritorius, nihil ab illo actu excludendum est, quod meritorium non sit quasi subjective, id est, componat actum meritorium, et ad merendum concurrat. Cæterum an cuilibet rationi concurrenti ad constituendum actum meritorium, sive sit per modum partis aut gradus, sive per modum circumstantiæ, correspondeat distinctum præmium, et distinctum augmentum charitatis, sive statim, sive suo tempore dandum, prædicti auctores non definiunt, sed dicunt aliquando id habere, aliquando non, ita quod aliqui actus perfectissimi merentur dari augmentum secundum totam latitudinem actus; ita quod cuilibet gradui correspondeat novus gradus augmenti, alii vero non. Imo dicunt quod si actu remisso aliquis efficiat actum objecti excellentioris, ut ingredi religionem, pati martyrium, iste actus merebitur augeri charitatem secundum totam latitudinem propter excellentiam objecti; alii vero actus imperfectiores non ita merentur. Sed totum hoc est divi-

nare, nec ipsi audent quidquam definire, nam spiritus ponderat Deus.

XXII. Sufficiat dicere, quod cum ratio meriti pensetur ex morali existimatione, et in merito præmii essentialis existimatio, et valor desumatur ex charitate, quæ sola prodest quoad præmium essenziale, ut ex Apostolo diximus, non est quod rationem meriti sic dividamus, ut cuilibet rationi, aut circumstantiæ ad meritum concurrenti, assignemus novum præmium, et augmentum, sed omnes rationes ad meritum concurrentes a charitate imperari, et formari intelligamus; et prout charitas plura imperat, vel format aut magis intense, crescere etiam valorem meriti, respectu præmii essentialis. Ratio est, quia valor meriti respectu præmii essentialis sumitur a charitate ut a radice; ergo secundum quod charitas plus se extendit, vel intendit, intelligitur etiam crescere valor meriti, in actibus quidem immediate elicitis per solam elicentiam; in actibus autem imperatis informando per imperium omnes rationes, et circumstantias actus imperati, unde ex omnibus illis integratur unum meritum, et correspondet unum augmentum, cujus valorem in individuo solus Deus scit. Quando autem, et quomodo reddatur dicetur articulo sequenti.

ARTICULUS IV.

Quando detur augmentum de facto pro actibus remissis.

I. Hæc est difficilior pars totius disputationis, quæ implicatissima redditur ex determinatis in præcedentibus articulis. Ex illis enim quasi contradictoria videntur in-

ferri. Nam si quilibet actus remissus meretur augmentum gratiæ, sicut et vitam æternam, utique de condigno illud meretur; ergo debet reddi ipsi merenti in quocumque eventu; nisi ponat obicem culpæ, qua reddat se indignum, ergo etiamsi nunquam eliciat actum ferventiorum, reddetur illi tale augmentum, sicut et vita æterna, quia meritum illud non potest fraudari jure suo. E contra vero admisimus in primo articulo, quod actus non solum debent habere rationem meriti, sed etiam dispositionis proportionantis subjectum formæ introducendæ, sicut ex principiis de fide deducitur id intervenire in initio justificationis; ergo quantumcumque actus remissus sit meritorius augmenti gratiæ, tamen nisi subjectum proportionetur non recipiet de facto tale augmentum, sicut neque ipsam visionem beatificam, quam charitas meretur de facto unquam recipiet nisi anima separetur a corpore, et recipiat lumen gloriæ, quo proportionatur visioni.

II. Ex hoc ergo ortæ sunt duæ principales sententiæ in hac parte. Una attendens ad rationem meriti condigni, ponit statim ac elicitur actus meritorius sive remissus, sive intensus dari augmentum gratiæ quod meretur. Quæ sententia communiter tribuitur Nominalibus, Gabrieli, Almaino, et aliis, eamque modo sequuntur recentiores pater Suarez, Vazquez, Torres, Granados, et alii, quos citabimus articulo secundo pro sententia negante requiri physicam dispositionem præter meritoriam ad augmentum gratiæ. Et præcipuum hujus sententiæ fundamentum est illud primum argumentum quod in eodem articulo proposuimus, et solvendum remisimus ad hunc articulum. Cui etiam addi potest communis difficultas de reviviscencia meritorum, quia quando homo resurgit a peccato per pœ-

nitentiam omnia merita antecedentia reviviscunt ad præmium, quod antea merebantur; et tamen actus pœnitentiæ quo resurgit non semper est æqualis magnitudinis meritorum, quæ præcesserant ante peccatum; ergo impertinens est illa physica dispositio proportionans formæ introducendæ; sed sufficit dispositio moralis, aut meritoria.

III. Secunda sententia principalis attendens ad rationem dispositionis qua subjectum debet proportionari formæ infundendæ, fatetur actus remissos mereri quidem augmentum gratiæ, sicut et vitam æternam, eam tamen non statim dari, sed quando homo sufficienter se disposuerit. Ita docuit S. Thomas 1-2, quæst. cxiv, art. viii ad tertium, ubi inquit: « Quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ sicut et gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum. » Quando autem sit sufficienter dispositus D. Thomas, ibi non explicat, sed addit in hac secunda secundæ, quæstione xxiv, articulo sexto, quod: « Non quolibet actu charitatis augetur charitas, sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem, et habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventiorum dilectionis, quousque conetur ad charitatis profectum, et tunc charitas augetur in actu. » Et subdit solutione ad primum: « Quod quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum: » ubi aperte D. Thomas, et negat statim

dari augmentum, quod cadit sub merito actus remissi, et designat tempus quando datur, scilicet quando conatur ad profectum charitatis, et prorumpit in actum ferventiorum.

IV. Mirum est quantum torqueat expositores D. Thomæ, et in quot sententias dividat ista ejus assertio, nam omnino videtur manere difficultas insoluta, nam ille actus ferventior etiam meretur augmentum sibi proportionatum, et correspondens; non enim est deterioris conditionis quam actus remissus; ergo vel tunc redditur sibi tale augmentum quod meretur vel non, si redditur non remanet locus augmento, quod merebatur actus remissus, quia respectu illius non datur dispositio, sed solum respectu augmenti, quod meretur actus intensior ille, seu ferventior: vel si eadem dispositio sufficit pro augmento actus ferventioris, et pro augmento actus remissi ruit totum fundamentum D. Thomæ, quia aliquid augmenti tunc dabitur sine correspondentia dispositionis, si quidem dispositio adæquatur augmento ferventiori, et sic non restat dispositio respectu augmenti remissi. Si vero tunc non redditur augmentum, est falsum quod dicit D. Thomas tunc reddi quando prorumpit in actum ferventiorum, cum nondum tunc reddatur, et sic restat inquirendum quando redditur illud augmentum, si quidem quemcumque actum ferventiorum consideremus, si est in hac vita, est meritorius augmenti, et consequenter currit eadem difficultas: si est in alia vita ille procedit a visione beatificata, et consequenter supponit præmium jam datum, et consequenter non auget charitatem, propter quam debet dari majus præmium: si autem elicitur ante visionem beatificam, et consequenter regulatur per fidem,

unde constat quod tunc eliciatur actus ita fervens quod disponat ad augmentum omnium actuum remissorum in hac vita, quod plane est divinare.

V. Huic difficultati adhibuit primam solutionem magister Victoria in relectione de augmento charitatis, licet non multum in ea quiescat, et dicit quolibet actu, etiam remisso, augeri gratiam in esse gratiæ statim, et sic dari augmentum gloriæ si moriatur homo, non tamen augeri de facto; et statim habitum charitatis. Hæc solutio est contra D. Thomam in prima secundæ, quæstione cxiv, ubi loquitur de augmento gratiæ, et dicit non statim dari per actum remissum, et in hac secunda secundæ, quæstione xxiv loquitur de augmento charitatis eodem modo. Nec potest differentia aliqua inveniri, cum gratia, et charitas sint habitus inhærentes animæ, et charitas est quasi proprietas gratiæ, unde eadem est ratio augmenti unius, et alterius, nisi forte dicatur crescere aliquem in esse gratiæ quantum ad extrinsecam acceptionem Dei, non quantum ad internam sanctificationem; sed hoc non est crescere in gratia, quæ sit jus ad gloriam, quia gloria est consummatio gratiæ, quæ solum datur ratione gratiæ inchoatæ, quæ est semen gloriæ, et nos intrinsece sanctificat, et reddit justos, et de hac loquimur in præsentia.

VI. Secunda solutio est magistri Bagnez hic quæst. xxiv, art. vi, dub. i, et in relectione de augmento charitatis, ubi latissime hanc difficultatem tractat. Et in summa consistit ejus responsio in hoc quod actus remissus meretur augmentum suæ latitudini correspondens, quod de facto datur in hac vita, quando homo prorumpit in actum ferventiorum, ut S. Thomas aperte videtur dicere. Sed tunc non datur duplex

augmentum unum pro actu ferventiori, aliud pro remisso, sed unum tantum augmentum quod correspondet actui ferventiori, ut dispositioni perfectæ, et actui remisso ut dispositioni imperfectæ; et ita correspondet actui remisso aliquis gradus suæ latitudinis, qui etiam correspondet actui ferventiori, et ille gradus datur duplici titulo, sicque in ratione formali præmii est majus, id est, ut correspondens pluribus meritis; non autem materialiter, et entitative est majus. Et sic actus remissi non merentur augmentum quantum ad plures res, sed quantum ad plures titulos in gloria essentiali, in accidentali autem præmio etiam plures res merentur.

VII. Hæc solutio semper visa est rigida, et non salvare simpliciter rationem augmenti, quod ipse Bagnez fatetur mereri actus remissos, et D. Thomas docet, et Concilium Tridentinum satis judicat. Et præcipue urgent duo contra hanc sententiam. Primum est, quod si homo eliciat plures actus remissos, nunquam autem eliciat actum ferventiorum, sed sic moriatur, illi actus carebunt perpetuo suo præmio, quantum ad augmentum charitatis, quod merebantur de condigno, si quidem eodem modo meretur augmentum, quo vitam æternam, quia in hoc parificantur a Concilio, et a D. Thoma, sed vitam æternam merentur de condigno; ergo et augmentum. Impossibile est autem privari aliquem justum eo quod meretur de condigno, ergo, etc.

VIII. Nec potest dici, quod illi actus remissi merentur augmentum sub conditione, et dependenter ab actu ferventiori, quam conditionem sua negligentia non apponit. Hoc inquam dici non potest. Supponimus enim illam negligentiam peccatum non esse, remota autem culpa non potest mereri præmium de

condigno sub conditione; tum, quia Concilium, et D. Thomas, absolute dicunt illos mereri eodem modo augmentum gratiæ quo vitam æternam; sed vitam æternam merentur absolute, et sine dependentia ab alia conditione si in gratia decedant, ut definit Tridentinum sessione vi, capite xvi: ergo etiam augmentum, tum, quia vel merentur ab actu ferventiori dependenter, ut a conditione requisita extrinsecus, vel ut a dispositione proportionante subjectum, si ut a conditione, cum ille actus de se sit meritorius de condigno, et applicatus subjecto, gratis confingitur alia conditio: si ut a dispositione ille actus ferventior solum disponit ad augmentum, quod sibi correspondet; ergo respectu alterius augmenti, quod merebantur actus remissi æque indispositum manet subjectum ac antea.

IX. Secundo, urget contra prædictam solutionem, quia non salvat vere, et proprie quid sit augmentum formæ id quod merentur actus remissi, nam si illud augmentum pertinet ad præmium accidentale, non est illud augmentum de quo loquitur Concilium sess. vi, cap. x, dicens, quod per bona opera crescimus in ipsa substantia accepta, et magis justificamur; per præmium autem accidentale non magis justificamur, neque est vere augmentum gratiæ, cum sit alterius speciei a gratia, et gloria essentiali; augmentum autem quoad novum titulum non habet locum in præsentia. Nam præterquam quod isti tituli sunt ejusdem rationis, ut consequenter aliquis eorum superfluit, neque congrue multiplicantur tituli meritorum, nisi quando ipsum meritum est infinitum ut in Christo, quia quodlibet meritum exhaurit totum præmium. Præter hæc in quam urget aliud ex D. Thoma, quia si actus remissi merentur idem pluribus ti-

tulis, ad quid expectant actum ferventiorum ut exhibeatur eorum augmentum, si quidem hoc ipso quod procedunt a gratia, et sunt actus remissiores, et inferiores illa, hoc ipso habent in subjecto gradum suæ intensiori correspondentem, quæ novo titulo mereantur, verbi gratia, si habens charitatem ut quatuor eliciat actum ut duo, qui solum meretur gratiam ut duo, non superaddendam, sed novo titulo possidendam jam possidet in subjecto gratiam ut duo; ut ergo possideat novo titulo ad quid expectat actum ferventiorum?

X. Propter hoc est tertia solutio patris Granados in præsentis disputatione x, sect. i, quam supra rejecimus art. ii. Videtur tamen indicari a Cajetano 1-2, quæst. cxiv, art. viii. Sed revera Cajetanus solum ibi refert verba D. Thomæ in secundo, disp. xxvii, quod tunc actu augetur habitus quando aliquis utitur accepta gratia secundum proportionem suarum virium, ita ut in nullo desit gratiæ Dei per negligentiam. Sed planus sensus D. Thomæ supra est expositus, quod loquitur de accepta gratia tam habituali, quam actuali: per actuale enim movemur a Spiritu sancto ad crescendo in via Dei, quia actus intensior non producit a solo habitu, qui solus non potest producere actum intensiorem se, sed etiam ab auxilio movente ad perfectiora, et majora opera, et ideo qui utitur ista gratia Dei accepta tam habituali, quam actuali, ita ut in nullo illi desit, producit actum ferventiorum, et ita augetur habitus de facto. At vero pater Granados intelligit, quod qui utitur accepta gratia habituali, ita quod producat actum æqualem illi, licet non intensiorem, tunc est sufficienter dispositus ut illi detur augmentum actus remissi, qui congruum videtur ut non detur præ-

mium augmenti nisi utenti tota gratia quam accepit, ita ut in nullo illo desit, et negligens non sit. Et quando D. Thomas dicit quod requiritur actus ferventior, interpretatur quod sit ferventior, non ipso habitu cui est æqualis, sed actibus remissis qui præcesserunt.

XI. Cæterum præter id quod ostendimus articulo secundo præcedenti ex D. Thoma in primo, disp. xvii, quæst. ii, art. iii ad quartum, quod quando requirit dispositionem æqualem expresse loquitur de dispositione æquali formæ introducendæ, seu augmento intensiori, non autem de dispositione æquali habitui præsupposito. Præter hæc inquam non evacuat iste auctor vim rationum factarum, quod vel illa dispositio æqualis requiritur tamquam pura conditio extrinseca, vel tamquam dispositio proportionans subjectum formæ introducendæ. Si hoc secundum, ille actus solum disponit ad æqualem, non ad majorem intensiorem, et ad summum solum disponit ad augmentum sibi correspondens. Unde relinquit subjectum indispositum ad augmentum quod merebantur actus remissi. Si autem primum, solvit fundamentum D. Thomæ, quia ad hoc requirit ferventiorum actum, ut subjectum sit sufficienter dispositum. Ergo non requirit ut conditionem extrinsecam illum actum æqualem, et revera si actus remissus est meritorius de condigno illius augmenti, et subjectum est capax, et causa agens quæ est Deus sufficienter applicata, ut quid requiritur illa conditio extrinseca?

XII. Denique currit argumentum supra factum, quod si aliquis habeat actus remissos non adæquantes intensiorem habitus, et moriatur sine hoc quod eliciat actum æqualem, illi actus vel carebunt suo præmio, quod merebantur de condigno,

gno, scilicet augmento gratiæ, quod est contra justitiam Dei; vel non merebantur de condigno augmentum gratiæ, quod juxta doctrinam Concilii negat Granados, vel recipiet illud augmentum sine hoc quod intercedat actus æqualis, vel intensior, et sic ruit ejus doctrina.

XIII. Restant duæ solutiones probabiliore in doctrina S. Thomæ. Altera quæ solutionem magistri Victorii magis explicat; altera quæ rigorem sententiæ magistri Bagez temperat. Dicebat enim magister Victoria, quod quolibet actu remisso augebatur gratia in esse gratiæ, licet non charitas, et ita dabatur incrementum gloriæ juxta illud incrementum gratiæ. In hoc ergo emendatur hæc solutio, quod fatentur isti auctores neque etiam ipsam gratiam augeri in esse gratiæ intrinsece per actus remissos, neque acquirere majus jus intrinsecum ad majorem gloriam; hoc enim cum sit jus filiationis divinæ, cum sit jus ad hæreditatem, non datur nisi augmentata forma intrinseca dante, et constituyente rationem filii: sed per illos actus meritorios datur jus morale, et meritorium ad majorem gloriam recipiendam mediate, id est, mediante actu intensiori, qui elicitur in alia vita, et disponit physice ad recipiendum augmentum illud gratiæ habitualis, cui dabitur major gloria, et ille actus intensior cum sit elicitus extra hanc viam, ita est dispositivus physice, quod non est meritorius ulterioris augmenti. Hanc solutionem docent plures Thomistæ, et eam sequitur magister Alvarez; et Nugoro ii tom. in tertia parte, quæst. lxxxix, art. v, dub. i; Montesinos 1-2, quæst. cxiv, art. viii, disp. xxxvii §. Ultimo, alique Thomistæ. Et in hac solutione non habet locum illud argumentum supra factum, quod non est assignare actum ferventiorum ratione cujus ac-

tus remissi de facto consequantur augmentum, et non sit dispositio meritoria pro augmento sibi correspondenti; assignamus enim actum ferventiorum in alia vita, qui jam non est meritorius, et tamen disponere potest ad hoc ut subjectum physice proportionetur ipsi habitui gratiæ infundendæ, qui est jus habituale ad gloriam, et consequenter in eadem intensione infundetur lumen gloriæ.

XIV. Ego fateor hanc solutionem aliquando mihi minus placuisse, quia res quam assumit videtur incerta, et divinando procedere. Unde enim constare nobis potest, quod actus charitatis alterius vitæ superet, vel adæquet in intensione substantiali omnes actus remissos habitus in ista vita. Nam licet actus charitatis in alia vita sit perfectior quam in ista, non tamen in intensione substantiali superat habitum, seu charitatem istius vitæ, quia qualiscumque exit de hac vita, sic manet in perpetuum. Denique, quia quando aliquis immediate post mortem videt Deum nulla facta detentione in purgatorio, tunc ille actus charitatis non procedit a fide, sed a visione beata; ergo prius intelligitur lumen gloriæ, et visio in subjecto, quam actus charitatis in voluntate, et illa visio semel data non potest amplius augeri. Ergo actus charitatis ab ea procedens non potest esse causa, et dispositio ut augeatur gratia, et lumen gloriæ quod supponit in subjecto ut ab eo procedat. Denique D. Thomas hic quæst. xxiv, art. vi expresse designat tempus quo datur augmentum actus remissi, scilicet quia per actum remissum disponitur aliquis ut promptus agat, et habilitate crescente prorumpit homo in actum ferventiorum, quo conatur ad charitatis profectum, et tunc augetur charitas in actu. Hoc autem etiam contingit in